

Werk

Titel: Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis De Sibylla
Untertitel: Libri tres
Autor: Petitus, Petrus
Verlag: Lankisch; Guntherus
Ort: Lipsiae; Lipsiae
Jahr: 1686
Kollektion: VD17-Mainstream
Gattung: Altertumskunde
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN737373385
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN737373385>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=737373385>

LOG Id: LOG_0004
LOG Titel: In Libros De Sibylla Præfatio.
LOG Typ: preface

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

In libros
DE SIBYLLA
Præfatio.

Suoplures extant conscripti do-
torum virorum de Sibyllis li-
bri, eo grauior me cura inces-
sit, quam homines de isto consilio meo op-
tionem habituri sint, dum me videbunt
argumentum iam satis superque, ut vi-
detur, ab aliis explicatum, denuo incu-
di reddere, ac noua opera recentatum
ponere, ceu quicquam potuerim in eo
inuenire, quod priorum diligentiam fu-
gerit. Itaque metuo equidem, ne me sta-
tim multi ex titulo explodant. *Quid*
igitur? *Quia* complures ante me de
Sibyllis scripserunt, non licebit mibi in
eadem palestra exercere ingenium me-
um? *Quia* multi existunt literarum

PRAEFATIO.

ofores, multi alienæ industriae oppugnatores, mea ipse reperta tenebris damnablebo? Absit ut talibus terriculamentis me a proposito abduci patiar. Quin spero non defuturos lectores eius aequitatis, ut prius quid hoc in nouo opere afferam, perspicere velint, quam de illo iudicium ferant: eius autem candoris, ut cum serio ipsum ac diligenter euoluerint, non me in eo elucubrando inutiliter omnino operam posuisse fateantur.

Id quanquam meo iure postulare videor, ac futurum confido; visum est tamen ad præuertendas aliorum suspicioneis pauca hic de meo instituto attingere, quo libentius omnes ad eius, quem offero, libri lectionem accedant.

De Sibyllis ago, immo de Sibylla, quod nomen cur singulariter usurpem, totius libri intentio & series declarat. De Sibylla inquam, verum longe alio modo & iudicio, ac qui de Sibyllis ha-
etenus scripsérunt. Illi testimoniis ex

PRAEFATIO.

Varrone & aliorum auctorum lectione congerendis potius, quam pensitandis, quam essent diligentes ostendere voluerunt: nihil interim expiscati, nisi quod ad rem Christianam, ac fidem illi arrogandam, atque auctoritatem conciliandam, pertinere videretur. Ad hunc dumtaxat scopum omnis eorum industria & labor collimat. Mibi vero propositum est, non historicum modo me, aut criticum, aut theologum praestare Sibyllæ, sed etiam philosophum. Quod non ideo profiteor, ut aliquid mihi maius supra alios arrogem; sed ut omnes ex hac confessione melius presentis operis ingenium & rationem dignoscant. Quid enim hinc sequatur, iam omnes cordatos puto intelligere; nempe ut longe alia, hoc modo contemplanti, rerum facie & apparatu se offerat mihi Sibylla, multoque ampliorem aperiat campum, atque iis qui Sibyllina attingunt, eorum tantum ora-

PRÆFATIO.

culorum causa, quæ de Christo & Ec-
clesia circumferuntur.

Enim uero si me iisdem finibus coer-
ceri vellem, difficultius fateor vitare
possem, quin, quod metuendum mibi di-
xi, id accideret, saepe ut, imprudens
licet, in aliorum vestigia incurrerem,
atque etiam, quod summe abominor,
compilator aut plagiarius audirem:
quorum duorum utrum magis detester,
non facile dixerim. Nunc mibi quo di-
xi proposito in Sibyllæ res & praescita
inquirenti, ea conuenit diligentia, quæ
nihil Sibyllinum a se alienum putet. Cui
consentaneum, ut quæ alii, ut parum
proposito suo necessaria, consulto omi-
serunt, studiose mibi, ut meo congruen-
tia, undique expiscanda fuerint
atque explicanda. Hinc sane factum
est, ut non solum de natura Sibyllæ,
corporis temperamento, animi indole,
vaticinandi facultate, & causis dicen-
dum fuerit: sed etiam alia multa his

PRÆFATIO.

affinia & adiacentia, ex eorum genere quæ Hippocrates τὰ ἔξωθεν vocat, Philosophi etiam τὰ ἔξω, fuerint necessario adiungenda. Patria, inquam, educationis, & victus ratio, vita longa, solitudo, peregrinationes, antra in quibus habitasse dicitur, mors, sepulcrum, epitaphium; omnia e veterum monumentis expressa.

In quibus interim persequendis me interdum ingenio obsecutum meo, ultra etiam limites euagatum non diffitebor: dum materia inuitante in quedam diuerto, non quidem abhorrentia plane a proposito, sed tamen non valde necessaria. Quo in genere est interpretatio allegorica antri Nympharum in portu Ithacensi, ab Homero graphice expressa in Odyssaea. Quam expositionem a Porphyrio acceptam, Sibyllæ specuum occasione, illustrare atque etiam tutari aduersus Caesaris Scaligeri censuram visum est. Nec potui temperare porro,

PRÆFATIO.

quin multa de priscis Græciæ ariolis, & principe omnium, ut ego arbitror, Sibylla referens, nonnullorum posterioris ævitatum, atque in primis Michaelis Nostradami, in Gallia nati, prædictiōnumque centuriis celeberrimi, mentionem facerem. Quæ si quis tetricus, ut aliena a proposito, explodere audet, meque in his abusum otio & literis contendet; videat ne iustius ipse temeritatis arguatur, dum Platonem, Polybiū, Liuium, Plutarchum, Galenum, Erasmum, Cardanum, Bodinum, & alios complures viros magnos, atque extra ingenii aleam positos, eadem censura explodendos non diiudicat.

Sane non video, quid tantopere diverticula offendionis habeant, si nihil interim eorum, quæ ad rem pertinent, omittatur, quo minus propositæ disputationi ad plenum satisfiat; isque adhibeatur modus, ut nequeremotiora sint ab iis quæ aguntur, nimisque e longin-

PRÆFATIO.

quo petita , neque diutius lectorem morentur. Immo his conditionibus admittenda esse contendō, præsertim in opere satis prolixo , parumque benigna materia & ingenii capace : qualis profecto hæc est, quam suscepit tractandam, si remota omni rerum extrinsecus incidentium specie , in se nuda spectetur.

Tum si qui me in rebus parum fide dignis atque ipsa vetustate suspectis nimis credulum & diligentem fuisse arguent, dum omnia quæ de Sibyllæ oraculis & gentium sacrī veteres prodiderunt amplector, multa antiquos vates de futuris ad verum respondisse defendo: sciant, me non alia potiore indicatura inuitamentoue hanc operam condixisse , quam ut illa, quæ multi proficietis aspernantur atque repudiant, fide non indigna offendam. An tibi, Quiritator, hæc falsa sine testimonio , sine solida ratione, iactanti vis credi potius, quam summorum totius qui auctorum

PRÆFATIÖ.

consensui, qui hac historica fide in literas miserunt? Quorum auctoritas cum tanti in aliis ponderis ac momenti apud omnes sanos habeatur: equidem non video, cur in unius Sibyllæ negotio, atque aliis ethnicorum superstitionibus, ita iaceat, ut quæ iidem magni auctores de hisce rebus prodiderunt, ne digna quidem videantur, quæ in disceptationem adducantur, ut quid de his sentiendum sit constituatur. Tu vero (placet enim verbis Apuleii, quibus similem cuiusdam contumaciam coeret, vti) crassis auribus & obstinato corde respuis, quæ fortasse vere perhibeantur. Minus hercule calles, prauissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auribus noua, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videntur; quæ si paulo accuratius exploraris, non modo compertu evidentia, verum etiam factu facilita senties.

PRÆFATIO.

Valeant igitur isti antiquæ eruditionis
osores, literarumque destructores, qui
nihil, nisi quod ipsi viderunt, aut quod
usu obuium omnibus tritumque est, cre-
dere volunt. Mibi prouidentia maie-
statem contemplanti, ordinemque uni-
uersi, in quem nullæ non rerum vices,
nulla non rationum omnigenum varie-
tas & distinctio incidit, pridem hæc sen-
tentia sedet, nihil omnino eorum quæ
in magnorum auctorum monumentis
occurrunt, quantumuis inusitatum &
stupendum, sine valida & euidenti ra-
tione esse repudiandum. Hæc autem
una est ratio, si hæc fieri non potuisse
idoneis argumentis probetur. Fuerint
illa quidem superstitiosa & friuola, ca-
codæmonum fraude inducta, non ta-
men propterea neganda, aut indigna
cognitione: cum ex iis maxime intel-
ligatur, qualibus vitæ e tenebris & ca-
ptiuitate Deus per Filii sui gratiam mor-
tales eduxerit. Quemadmodum enim

PRÆFATIO.

artis medendi utilitas nulla ex re me-
lius, quam ex morborum, quos depellit,
variis molestiis & periculis cognosci
potest; sic neque Dei optimi maximi
misericordia & bonitas ineffabilis ali-
ter clarius innotescat, quam si quis er-
rorum atque superstitionum portenta
consideret, quæ Christus, ceu densissi-
mas nubes, immo plusquam Cimmeri-
as tenebras, in hunc mundum prodi-
ens, lumine suo animis hominum depu-
lit. Quo sane consilio me ad hanc de
Sibylla, quæ magna earum supersticio-
num pars fuit, commentationem
impulsum profiteor.